DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA,

SISTENS

OBSERVATIONEM VAGINAE IN PARTURIENDI NEGOTIO DISRUPTAE,

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS,

DIE XXVIII. MARTII M. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOANNES PHILIPPUS WITTIG,

BREMENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. BLAUROCK, MED. ET CHIR. DD.,
R. KNAPP, MED. ET CHIR. CAND.,
G. HOLTHOFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Εἴ τις εἰδείη τὴν αἰτίην τοῦ νουσήματος, οἷος τ᾽ ἂν εἴη προσφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῶν ἐν τῷ σώματι, ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπιστάμενος τὰ νουσήματα.

Hippocr.

VIRO

TUM HUMANITATE TUM ETIAM DIGNITATE

LONGE PRAESTANTISSIMO,

E. G. TOM HAVE,

A CONSILIIS RERUM CAMERALIUM OLDENBURGENSIBUS,

FAUTORI SUMMO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Accedenti mihi ad artis medicae studium haec semper fuit opinio, materiam ad disserendum aptissimam atque uberrimam ex physiologia potissimum petendam esse, tum ob summam rerum in ea tractatarum varietatem, tum ob multas majoris minorisve momenti quaestiones in eadem propositas. Physiologia enim, cum naturae arcana accuratius quasi perscrutetur, eorum, qui eam curiose tractaverint, animos hanc ipsam ob causam mirifice tenere valet. Constat autem inter omnes, nec parva esse, nec facilia, quae nostra quidem aetate iis obstent, impedimenta, qui obscurissimis rebus lucem aliquam afferre velint, ita, ut vel summos et maximae auctoritatis viros deterruerint. Qnod cum saepe multumque mecum cogitassem, optimum mihi facturus visus

sum, si quid memoratu dignum ex parte medicinae practica et a me forte observatum eligerem, in quo exponendo dissertatio mea versaretur. Neque postea spes me fefellit, fungenti mihi enim medici inferioris munere in instituto obstetricio caritatis Berolinensis, vaginam uteri in partu disruptam observandi occasio oblata est. Quem quidem casum, non solum, quod rarius occurrit, verum etiam, quod vel maximi est momenti, tractatu non indignum putavi. Totius autem dissertationis tria feci capita, quorum primo, quid de vagina in partu disrupta in universum statuendum, altero, quaenam ejus potissimum sint causae ac signa, verba nonnulla feci, tertio denique hunc ipsum casum a me observatum ad veritatem exposui.

Qua in expositione si quid, seu scribendi methodo imperfecta, seu sententiis propositis falsis, lectori displicuerit, veniam non deneget, ne oleum operamque plane perdiderim.

CAP. I.
INTRODUCTIO.

Naturam in nullo omnino animante majorem, quam in homine, prae se ferre inconstantiam ac vicissitudinem tum in omnibus ejus vitae phaenomenis tum corporis partibus, una omnium fere exploratissima est sententia. Ut autem ceteris, ita iis praecipue organismi muliebris partibus et functionibus, quae foetui servando et expellendo serviunt, hanc inconstantiam inesse videmus. Quamquam enim natura matrem parturientem et parturiendum foetum, si ad omnium partium vires et structuram respicias, a principio ita conjunxit, ut certa ratione inter se congruant, neque alter alteri sit damno, tamen non solum partes et vires, partum efficientes, verum etiam situm formamque foetus multiplicem ac praeternaturalem consideranti hoc facile patebit, haud exiguam causarum exstare copiam, quae, ex temporis longinquitate non minus, quam ex morbis generis humani sensim adauctis originem ducens ac magis magisque crescens, foetui per viam a natura constitutam educendo obstare possit. Inter partus hoc modo exortos praeternaturales haud pauci inveniuntur, quos non solum idcirco, quod rarius occurrunt, sed etiam quod graviori impetu totum afficiunt organismum, notatu censeas dignos. His ii potissimum sunt adnumerandi, in quibus na-

tura, foetu, quo minus via solita edatur, impedito novum illi parat exitum, solidas disrumpens partes, quorum non est infitiandum, vaginae uteri rupturam, foetu simul in cavum abdominis penetrante, ceteris summo imminente periculo praestare. Quem quidem casum non prius, quam recentioribus temporibus observatum et expositum invenimus, cum veteres neque unquam partubus affuisse, neque, religione impeditos, cadavera secandi licentiam concessam habuisse, constet, denique ars ipsa obstetricia ultimis demum seculis ad aliquam perfectionem pervenit. Jam vero vaginam in multis gravidis ac parturientibus mirum in modum intensam et parum munitam qui considerat, huic non tam id videatur memorabile, eam in partu interdum disrumpi, quam ejusmodi rupturas non saepius evenire. Quodsi plerosque hunc casum vel non satis cognitum habuisse, vel ipsius uteri et vaginae rupturam confudisse legimus, non dubitandum est, quin tam exigua sit inter eas signorum ac symptomatum differentia, siquidem cognatione quadam teneantur, ut vel exercitatissimum quemque in errorem possit ducere. Neque si unius alteriusve rupturam per se spectes, nisi exploratione tam interna quam externa diligenter instituta extra omnem dubitationem eam posueris. Accedit, quod haud raro eas conjunctas videamus, ita, ut in vaginae rupturam uterus disruptus transeat. Neque vero hoc mirum cuiquam videatur, quod fere nullum ejusmodi partus exemplum traditum sit, quo foetus, vagina disrupta, in cavitatem abdominis aut omnino non penetrasset, aut, ubi penetraverat, non horribili modo organa vicina delevisset, imo tegumenta abdominis externa, contractionibus uteri gravissimis impulsus, ut docet experientia, perrupisset. Vesicam urinariam simul disrumpi, id quod eo facilius contin-

git, quo magis urina impleta est, atque intestina per vaginae rupturam prolabi, haud raro observatum invenimus. Sanguinem vero nonnunquam introrsum inter peritonaeum et musculos abdominales, plerisque tamen in casibus extrorsum vel satis vehementer, vel parcissime effundi, usu est confirmatum, neque enim hoc in casu utique postulari sanguinis profluvium putaveris. Prognosis plerumque pessima statuenda, utpote ex ipsa foetus exclusione, sanguinis profluvio, organis simul laesis vicinis aliisque conditionibus pendens. Foetum enim, ubi in cavum abdominis per rupturam penetravit, semper confectum esse, matrem vero plerisque in casibus vel inter ipsum partum, vel non multo post periisse, exempla exhibent, ubi autem e periculo eam evadere ruptamque vaginam sanatam videris, inter casus rarissimos numerandum.

CAP. II.

DE CAUSIS ET SIGNIS VAGINAE UTERI IN PARTU DISRUPTAE.

Causarum numerus, qui hic locum habere potest, nonnisi in ordinem certum, ut par est, redactus considerandus est. Omnes autem causae in tres classes apte distribuendae sunt. Ac primum quidem quae a matre, deinde quae a foetu proficiscuntur, postremo quae medico ipsi tribuendae sunt, recensendae veniunt.

Causae a matre oriundae in praedisponentes et occasionales potissimum dividi possunt.

Causae praedisponentes ad partum hunc praeternaturalem producendum primariam praebentes ansam jam pridem ante ipsum partum organismo

muliebri insint necesse est. Nimiam vero pelvis minoris angustiam, ut ab ea causa, quae maximi momenti est, incipiam, si vel per se eam respexeris vel cum foetus magnitudine comparaveris, rupturam vaginae in partu producere utique opus est, quippe quae angustia tanti sit momenti, ut vel nunquam hic status sine ea evenerit, vel ceterae omnes causae nihil fere valeant; vires enim partum promoventes sensim sensimque minuens non solum foetus vitam in summum vocat periculum, verum etiam inflammationes vaginae aliaque mala affert. Pelvis autem ossea aut vario modo distorta est, aut plane deformata aut pelvis minoris diametri, si ad omnes sive ad singulas spectaveris, vel in apertura superiori vel in inferiori vel in ipso ejus cavo justo breviores sunt. Quae tamen brevitas cum per se haud raro invenitur, tum etiam, si exostoses vel alia excrescentia ossea vel denique singularium ossium prominentiae praeternaturales exsistant. Sequuntur ipsius vaginae, quae non minoris momenti sunt, vitia, ut textura tenuior et laxior, variis morbis producta. Nec minus notanda sunt abscessus, varices, atresiae, scirrhus, polypi, ulcerationes, cicatrisationes et, quae inde sequitur, structurae inaequalitas, vel ubi priores partus nimis laboriosi fuerint, quibus partes laxiores redduntur, aliique morbi provocantur. Denique corpora aliena, ut calculi vesicarii vel faeces accumulatae ipsam pelvis cavitatem angustiorem reddunt.

Causae occasionales, frequentes quidem ac variae, vel paullo ante vel inter ipsum partum apparent, quae, cum ad causas praedisponentes haud raro accedunt, tum etiam ad vaginae rupturam producendam per se satis plerumque valent. Inter eas autem contractiones uteri, cum vel praeter modum vel praeter normam procedant, tanti sunt momenti,

ut sine dubio nonnisi earum vi ruptura vaginae oriatur, quo enim major est singula quaeque contractio, eo gravius fit inde detrimentum. His quoque adnumerandi sunt motus convulsivi vel paroxysmi epileptici, tussis gravior, summa parturientis debilitas, aut ubi dolores ad partum vel male vel omnino non tractantur, aut corpus ultro citroque prae anxietate jactatur. Denique vomituritiones et vomitus ipse, etsi in parturientibus haud raro eveniunt, tamen, quoniam in quavis vaginae ruptura haud ignobilem locum obtinent, causis ejusdem merito adnumerari posse videntur.

Jam *causae, quae a foetu proficiscuntur*, et hic etiam praedisponentes atque occasionalcs considerandae veniunt.

Causae praedisponentes. Quae de nimia pelvis maternae angustia diximus, eadem fere de nimia foetus, praesertim capitis, magnitudine dicenda sunt, si aut eam per se respexeris, aut cum interna pelvis amplitudine comparaveris. Sunt enim partes foetus singulae vel vitiose sive praeter naturam amplificatae, vel mirum in modum multiplicatae, ut in monstris per excessum, vel etiam morbis internis tumefactae, ut in hydrocephalis aliisque tumoribus et excrescentiis. Nec minor vis est mutationibus partium morbosis, ut fonticulis suturisve ossificatis, quippe impedientibus, quo minus ossa capitis in partu inter se promoveri possint. Denique velamenta crassiora et firmiora notanda sunt, quae, cum serius disrumpant, in vaginam depelluntur.

Causae occasionales. Quibus adnumerantur praeter varium et multiplicem foetus situm convulsiones ejus, ossa capitis in embryotomia fracta, vel ubi caput longum per tempus in apertura pelvis minoris incuneatum fuerit, quod et in praesens et in posterum summa partium extensione nocet.

Tandem, quae ipsi medico obstetricio tribuendae sunt, causae, non praetermittere fas est, qui cum aut versiones multas easque imperite seu parum apte instituerit, aut contusiones imo ipsas vaginae rupturas instrumentorum applicatione effecerit, non parvum damnum, quorum exempla exstant, afferre potest.

Jam vero ad signa et symptomata disruptae in partu vaginae nos convertimus. Cujus quidem status diagnosin vel maxime esse dubiam, non modo inter omnes constat, sed etiam ex eo elucet, quod signa ac symptomata vel saepius inter se differant, vel interdum plane deficiant, neque minus nonnisi exploratione interna antea instituta, num aut uterus aut vagina solummodo diruperit, aut alia simul organa vicina laesa sint, aut denique in abdominis cavitatem foetus jamjam penetraverit, extra omnem dubitationis aleam posueris. Signa autem ipsa aut praecedunt, aut inter ipsum partum vel etiam postea apparent. Ut enim in causis, ita et hic, ordo certus tenendus est. Itaque in ea potissimum dividenda sunt, quae modo partes, de quibus agitur, attingunt et quae ad totum organismum pertinent.

Signa ac symptomata, quae a matris genitalibus vel ab organis vicinis proficiscuntur, etsi nullum eorum, si ad singula quaeque spectes, casum illum ad liquidum perducat, tamen ad unum omnia considerata, paullo certiorem eum reddunt. Ubi vagina in eo est, ut inter partum disrumpat, uteri contractiones, etsi fortissimae, foetum educere nequeunt, ubi autem jam disrupta est, dolores ad partum, cum paullo antea vehementissimi fuerint, subito cessant, uterus enim, foetu in abdominis cavum prolapso, contrahitur. Strepitum quendam in ipso rupturae momento percepisse, nonnulli quidem contendunt. Praeterea de pondere quodam insolito, quod maxime, ubi corpus ultro citroque jactat, in

ipso abdominis cavo sentit, nec non de foetus, dum vivit, motu parturiens conqueritur. Prout foetus magis minusve in abdominis cavum prolapsus est, forma ventris differt. Quodsi in quavis pelvis apertura caput foetus incuneatum fuerit et modo pedes penetraverint, diagnosis multo fit difficilior. Ut plerumque evenit, partes foetus extrinsecus tactu percipiendae sunt, imo loco movendae. Nec desunt dolores matris in regione ossium pubis vehementissimi, dolores colici, calor in ipso abdomine insolitus, turgescentia alvi, genitalia autem externa interdum calida eademque sicca et turgida reperiuntur. Foetum simul cum secundinis in abdominis cavum penetrare, ut in nostro casu, ita in plerisque observatum est, nec minus intestina per ipsam rupturam prolabi posse, traditum est. Sanguinem vero vel nimium in modum, vel parcissime effundi, experientia edocuit.

Signa et symptomata, quae ad totum organismum pertinent, eo graviora sunt, quo magis omnia organismi systemata impetu partus illius praeternaturalis afficiuntur. Febris plerumque gravissima est, sudor nimius, sitis ardens, pulsus satis frequens et parvus, anxietas et animi perturbatio summa, nec desunt interdum convulsiones et spasmi. Sanguinis, si nimium fuerit, profluvium sequuntur sudores frigidi, respiratio difficilis, asphyxia, nec non incontinentia alvi et urinae. Denique vomituritiones et vomitum ipsum, quorum supra mentionem fecimus, omnino nunquam in ejusmodi casibus defuisse, exempla, quaecunque huc usque observata sunt, demonstrant.

CAP. III.

PARTUS A ME OBSERVATI HISTORIA EJUSQUE EXITUS.

Henrica P., mulier staturae mediae, habitus scrophulosi et constitutionis laxae, die 26. Septembris anni MDCCCXXVII., 32. annos nata, in institutum obstetricium nosocomii caritatis Berolinensis recepta est. Latus symphysis ossium pubis externum 7¼ pollic. *) a fossa, infra spinam vertebrae lumbalis infimae sita, remotum erat, apertura autem pelvis superior, *Klugii* instrumento dimensa, ad 40 gradus inclinata. Per vaginam caput foetus mobile sursumque magnopere conversum nec tamen satis perspicue digito exploranti obvenit. Ad partes genitales quod attinet, nihil, quod esset praeter naturam, nisi laxitatem quandam et amplitudinem, inveneris. Quod ne cui mirum videatur, id sufficiat, eam jam octies et quidem nuperrime geminos peperisse, omnes autem liberos, ut dixit, nulla ope artificiosa adhibita vivos et maturos protulit. Per hanc nonam graviditatem valetudine usa est integra, donec die 20. Octobris prima luce parturire coepit; hora enim tertia aquae, nullis doloribus antecedentibus, subito effluxerunt, quod tamen in quoque partu priori evenisse sibi mulier affirmavit, quae et nunc totum per diem bene sese habuit. Hora septima vespertina primi ad partum dolores apparuere, qui mox graviores facti sunt. Caput foetus altiorem adhuc situm tenebat, uteri orificio ad nummi imperialis magnitudinem aperto. Prout res erant, bene valuit parturiens, mitioribus solummodo vomiturītionibus interdum vexata et pro viribus dolores ad partum passa est. Ita tempore aliquo sine ulla

*) ad modum mensur. Parisiens.

rerum vicissitudine interjecto hora circiter decima dolores ad partum, ad vehementissimum gradum intensi, subito cessant, quorum loco sentit mulier dolores colicos superficiales, ad cordis scrobiculum usque, ut dixit, diffusos. In exploratione externa musculi abdominales ad utrumque latus relaxati inventi sunt, antrorsum autem et ad dextram umbilici paullulum prominentis tentanti pars in superficie jacens durior et fere globosa obvenit, id quod antea observatum non erat, ita, ut ibi caput foetus latere videretur. Exploratione interna instituta patebat, caput, huc usque proxime situm, locum mutasse, vixque amplius manu tangendum esse, orificium autem uteri paullulum esse contractum, per quod ad partes foetus prominentes, pedem scilicet manumque et partes genitales viriles, neque vero sine magno opere perveneris. Vomituritiones sensim sensimque ad vomitum auctae sunt, quo massae mucosae copia evacuata est. Quem ita quidem excitare studuit mulier, ut digitos, custodibus non animadvertentibus, ad fauces deduceret. Dolores ad partum exoptati non reverterunt, dolores autem colici, quorum supra mentionem fecimus, superficiales ad summum gradum intendebantur. Neque multo post sanguinis copia, primum quidem exigua, postea vero admodum adaucta, e vagina profluxit. In quo rerum statu non minus omnes organismi partes affectas esse, facile patebat, gravida enim praeter calorem crebriorem sudoresque frigidos siti ardenti pulsuque parvo ac frequenti laborare coepit, quo accessit respiratio difficilis, anxietas, animi perturbatio. De debilitate magis magisque crescente, quae a sanguine e vagina profluente, exiguo quidem, sed continuo, originem potissimum duxit, non solum questa est parturiens, sed etiam facies pallida genaeque labentes satis eam demonstrarunt. Par-

tium autem foetus, ex uteri orificio prominentium, nulla amplius digito per vaginam exploranti erat obvia. Jam vero Tinct. cinnamomi gtt. decem, Tinct. opii simpl. gtt. quinque, parturienti datae sunt, in vaginam autem uteri infusum chamomillae inspersum est, neque tamen ad supprimendum sanguinis profluvium quidquam profuit. Postremo exploratione tam interna quam externa diligenter instituta et iterata, ruptura in uteri vagina extra omnem dubitationem posita est, foetum autem, ovi membranis maximam ad partem adhuc circumdatum simulque peritonaeo disrupto in cavitatem abdominis prolapsum esse, ex omnibus apparuit symptomatibus. Huc accedebat, quod pedes foetus in vagina disrupta adhuc prominebant atque extractio efficienda erat. Gravida igitur sellae parturientibus servienti imposita est, quo facto illustr. *Kluge* dextra in vaginam immissa uterum jamjam contractum, orificium clausum et caput foetus sursum idque sub umbilico positum invenit, ventrem autem antrorsum et paullulum sinistrorsum versum, pedes denique deorsum in ipsa ruptura, ita quidem, ut manu attingi possent, qui postea duobus laqueis circumdati non sine magno opere protracti sunt. Funiculus umbilicalis, non amplius pulsans, extremitates inferiores semel amplexus est, et foetus in eo, ut ajunt, equitavit. Quo soluto ceterum quidem corpus lege artis expeditum est, excepto capite, quippe quod, pone arcum ossium pubis reductum, protrahi nullo modo potuit. Adhibitis igitur prius forcipe *Sieboldiana*, deinde *Kohlrauschiana*, quum propter altum capitis incuneati situm omne periculum aderat, nihil nisi excerebratio, foetu jam antea mortuo, superfuit, quae a clar. Dr. *Stumpf* per fonticulum posteriorem sine mora peracta est. Hora fere tertia, postquam cerebrum effluxerat, caput expeditum

est,

est, quod paullo post secundinae, utero jamjam exclusae itidemque in cavitate abdominis sitae, secutae sunt. Pondus autem pueri, corpore grandiori omnibusque partibus bene formati, erat libr. 9½, cerebro ademto, longitudo pollic. 21. Puerpera majori sanguinis copia inter operationem profluente maxime imbecillis et confecta erat: pulsus erat minimus, respiratio difficilior, extremitates frigidae, dolores colici minus vehementes, neque vomiturıtiones desierunt. Collocatae dein in cubili modica vini copia ad vires recreandas passim porrecta est nec non recipiendum jussum:

Tinct. cinnamomi
Acidi phosphor. a͞a, ʒj
Tinct. opii simpl. gtt. x̅.
M.

In vaginam uteri solutio aluminis cum infuso chamomillae et spec. aromat. inspersa est, extremitates autem spiritu angelicae et camphorato aequis portionibus lavatae. Postridie hora septima matutina nulla hujusce, quem delineavimus, status mutatio facta erat, nisi quod dolores colici sensim sensimque remittebant, et palpitatio cordis satis vehemens orta erat, neque minus sanguinis e vagina profluvium paullatim cessare coepit.

Hora nona idem fere status observatus est, nisi quod dolores colici jam plane desierant nec non siti puerpera laboravit. Propter nimiam mixturae, quam supra memoravimus, acerbitatem ei porrectum est:

Aquae cinnamomi ℥jjj,
Acidi phosphor. ℈jj,
Syr. albi ℥j.
M.

Hora undecima sitis adaucta erat, quae, quotiescunque de ea aegrota querebatur, aut vino aut

infuso flor. chamomill. sedata est, vomitu autem persistenti vel potius urgenti, quidquid cibi vel potus sumserat, reddidit. Sanguinis profluvium prorsus desierat.

Horis postmeridianis sudores frigidi, meteorismus, alvi profluvia apparuerunt. Respiratio fuit eadem, interdum oppressa, pulsus minimus, debilitas et anxietas summa, facies Hippocratica, quam mors denique haud ita multo post die 21. Octobris secuta est.

Sectione cadaveris, die 23. Octobris instituta, certiores facti sumus, uterum plane contractum neque ullo modo fuisse laesum. Rupturam autem vaginae uteri satis amplam, in parte anteriori paullulumque dextrorsum sitam, invenimus, quae longitudinis erat pollic. 8 et, si formam spectes, angulo recto haud dissimilis. Latus hujusce anguli horizontale tres pollices conficiebat, neque procul a collo uteri decurrebat, ita quidem, ut ubique ab hoc aeque distaret. In cujus fine dextro alterum anguli latus fere perpendiculare incipiebat, longitudine pollic. 5, usque ad arcum ossium pubis penetrans. Margines autem rupturae subgangraenosi inventi sunt. Quod ad organa vicina attinet, integra omnia et illaesa, excepto peritonaeo, manserant, in quo et ipso ruptura satis magna sese ostendebat, quam foetus, in abdominis cavum penetrans, effecerat. Neque sanguinem ipsum extravasatum, sed modo parum seri sanguinei cavum abdominis continebat. Denique nec conjugatam, quae dicitur, internam, pollic. 3¾ conficientem, metiri omisimus.

Epicrisis. Quae cum ita fuerint, operae pretium esse duxi, hunc nostrum casum cum aliis comparare et, quomodo inter se consentiant aut dissentiant, breviter commemorare. Primum enim omnes fere ejusmodi rupturas unam eandemque

formam tenere et cursum, a plerisque observatum est, ita quidem, ut ea vaginae pars, quae collo uteri inserta est, in circumscriptione ejus abrupta videretur, id quod, ut in majori hujus partis laxitate, ita praecipue in ipso foetus impetu, illuc potissimum converso, positum esse videtur. Jam vero causas rupturae si spectes, ante omnia nimia, quam diximus, pelvis angustia in nostra puerpera respicienda est, ita, ut mirum videatur, quomodo liberos novem ne ulla quidem artis ope adhibita, parere potuerit. Neque minus foetus magnitudo, corpori materno haudquaquam conveniens, et laxitas fibrarum vaginae contribuere, ut ruptura evaderet. Quodsi quaeramus, quaenam vis fuerit vomituritionum vel vomitus ipsius, vix a vero aberraverit, qui isto in casu non solum symptoma, verum etiam causam efficientem eamque haud levem, unde vitium illud, quod descripsimus, profluxerit, ponendam putet. Quid enim impedit, quo minus vi ejus quassante fibras vaginae magis magisque extensas esse, putemus, partum progredientem certe impedimentum inde aliquod cepisse? Dolores in regione pubis fixi, quum nunquam hic plane desinerent, tamen minus vehementes exstiterunt, dolores potius colici iique diffusi apparuerunt. Strepitum autem illum, quem, ubi ruptura oriretur et foetus in cavitatem abdominis penetraret, nonnunquam observatum invenimus, neque adstantium quisquam neque ipsa parturiens audivit. Neque vero foetus motum in cavitate abdominis sentire ullum mulier potuit, propterea, quod jam antea erat defunctus. Casuine autem dandum sit, quod foetus, ovi membranis partim circumdatus, una cum secundinis in cavitatem abdominis penetraverit, an potius breviori funiculo umbilicali, extremitates inferiores circumdanti, an denique, ut fert multorum sum-

maeque auctoritatis virorum sententia, vaginae viribus propriis et partum promoventibus, id in medio erit relinquendum. Neque silentio praetereundum est, laparotomiam, etsi alioquin necessitas ejus indicata fuisset, nostro in casu plane fuisse evitandam, cum ruptura vaginae satis amplam se manifestaret et pedes foetus in eadem adhuc prominerent, ita, ut extractio effici posset. Accedebat autem, quod ad summum debilitatis gradum parturiens jamjam redacta erat. Denique si quis miretur, quid sit, quod exitus fuerit letalis, is eo magis miretur, si nullam fere ejusmodi rupturam, quarum exstant exempla, felici eventu gavisam esse cognoverit, tum propter nimium et violentum impetum, quo non solum partes, de quibus agitur, verum etiam et inprimis omnia organismi systemata afficiuntur, tum etiam propter organa vicina, quae, ubi laeduntur, non minus vitam tollere valent. Quod etsi nostro quidem in casu, sectione instituta, defuisse vidimus, tamen debilitas, sanguinis profluvio exorta, tanta fuit, ut mors inde non sequi non potuerit.

INDEX LIBRORUM,

IN QUIBUS DE VAGINA IN PARTU DISRUPTA VEL EJUS CAUSIS MAGIS MINUSVE TRACTATUR:

Elias de Siebold, Lucina, Bd. I. St. I, und Bd. VI, St. III.

L. J. Bör, Abhandl. und Versuche geburtshülfl. Inhalts. 1. Th. Wien 1791.

— — Abhandl. und Versuche zur Begründung einer neuen, einfach. u. naturgemäßen Geburtsh. ꝛc. Wien 1810. Bd. 2. Abth. 1.

F. L. Meißner, Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete d. Geburtsh. ꝛc. Leipz. 1826. 1. Th. 49. Abschn.

Abhandl. u. Beiträge geburtsh. Inhalts vom Prof. d'Outrepont. Würzb. 1822. Tom. XXXV. Jan. u. Febr. 1816.

Hufeland, Journ. der pract. Heilkunde, Berlin 1813. Juni.

— — Neues Journal. 5. Bd. 2. St.

Loder, Journ. f. d. Chirurgie, Geburtsh. u. gerichtl. Arzneikunde. Jena. 4. Bd. 2. St.

J. Ch. Stark, Archiv für Geburtsh. ꝛc. 1. St. S. 117.

A. Henke, Zeitschrift für die Staatsarzneikunde. 1828. Erstes Vierteljahrheft.

Dictionnaire des sciences médical. sub „rupt. de matrice".

W. *Goldson*, Extraordinary case of a lacerated vagine. London 1787. Neueste Samml. für Wundärzte. I. N. 4.

Journal géneral de médécine, chirurgie et de pharmacie, ou Recueil périodique de la Societé de médécine de Paris, redig. par M. Fedillot. Paris. Tom. VI. No. XXXVI.

The London Medical Repository etc. by G. M. Burrows etc. London. Vol. XIII. No. 78. Jun.

Annali universali de medicina compilati del Dr. *An. Omodei*. Milano. 8. Vol. XXIV. Decb.

Schmalz, Diagnostik. 3. Aufl. S. 196.

G. W. Stein, Lehre der Geburtshülfe als neue Grundlage des Faches ꝛc. Elberfeld 1825. 1. Th. S. 265.

J. Burns, Grundsätze d. Geburtsh.; a. d. Engl. v. Kölpin. Stettin 1820. S. 539.

J. C. G. Jörg, Schriften zur Beförderung der Kenntniß des Weibes. II. S. 59.

L. F. Froriep, Theoret. pract. Handb. d. Geburtsh. Weim. 1810.

A. Elias v. Siebold, Handb. zur Erkenntniß u. Heilung der Frauenzimmerkrankh. Frankfurt a M. 1823. 2. Ausg. 2. Bd. 2. Abschn. §. 554.

Th. Bartholin, De insolitis partus humani viis. Hafniae CIↃIↃCLXIV.

Morgagni, De sedibus et causis morb. Vide morb. vagin.

F. J. Siebenhaar, Observat. de tumore vaginae sanguineo ex partu aborto. Lips. 1824. 4.

Th. M'Keever, Practical remarks on lacerations of the Uterus and Vagina with cases. London 1824.

A. Haller, Elem. physiol. Tom. VIII. Sect. V.

E. F. L. Clebsch, Diss. de haemorrh. uteri in parturientibus et puerperis, def. Berol. 1825.

VITAE
ET
STUDIORUM CURSUS,

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUS.

Ego, *Joannes Philippus Wittig*, Bremensis, die XII. m. Aprilis a. MDCCCV patre *H. Wittig*, adhuc vivente, matre e gente *Bernstiliana*, praematura morte mihi erepta, natus, confessioni Lutheranae adscriptus sum. Anno MDCCCXII. pater, in bellum iturus, Oldenburgum me misit adhuc puerum ad propinquum *E. G. tom Have*, quem pro singulari sua benignitate ac liberalitate optime de me esse meritum, lubentissime confiteor, qui, cum me amantissime excepisset, omnibus, quibus aetas puerilis imbui solet, literarum elementis non solum ipse instruxit, verum etiam, ut per annum gymnasium Oldenburgense frequentare possem, curavit, cujus denique tanta erga me semper fuit benevolentia, ut, gratias sat dignas an unquam referre possim viro, ad cineres usque colendo, profecto nesciam. A. MDCCCXVII. ad patrem, Vitebergae tunc temporis versantem, redii ibique Lyceum per annum dimidium frequentavi. Denique in scholam Portensem me contuli, ubi per quinque, et quod excurrit, annos iis literis, quae ad studia academica viam et sternunt et muniunt, vacavi. A. igitur MDCCCXXIII., cum Berolinum petiissem, m. Martio in numerum alumnorum instituti medico-chirurgici Friederico-Guilielmiani receptus utriusque medicinae studio per quadriennium me tradidi, quo temporis spatio hisce interfui praelectionibus:

De philosophicis cel. *Wolf*; de botanice et historia naturali illustr. *Link*; de zoologia cel. *Lichtenstein*; de physice, chemia et pharmacia cel. *Turte* atque illustr. *Hermbstädt*; de encyclopaedia medica, anatomia universa, comparata et organorum sensuum, entozoologia et phy-

siologia illustr. *Rudolphi*; de osteologia, splanchnologia, syndesmologia illustr. *Knape*, de arte autem cadavera dissecandi illustr. *Knape* et illustr. *Rudolphi*; de physiologia tam generali quam speciali cel. *Eck*; de circulatione sanguinis cel. *O. Schultz*; de pathologia generali cel. *Fr. Hufeland*; de pathologia speciali, morbis syphiliticis iisque mentis illustr. *Horn*; de materia medica, de remediis in periculis vitae repentinis adhibendis atque de fontibus medicatis cel. *Osann*; de semiotice ac therapia universali cel. *Fr. Hufeland*; de arte formulas medicas concinnandi illustr. *Knape* et cel. *Casper*, cujus ab exercitationibus pharmaceuticis quoque non abfui; de toxicologia illustr. *Link*; de morbis infantum cel. *Reich*; de therapia generali et de morbis acutis illustr. *C. W. Hufeland*; de chirurgia generali arteque fascias applicandi, de morbis ossium primitus mechanicis, de arte obstetricia tam theoretica quam practica illustr. *Kluge*; de chirurgia generali et speciali illustr. *Rust*, de ophthalmiatrice cel. *Jüngken*; de akiurgia illustr. *de Graefe*; de cursu operationum chirurgicarum illustr. *Rust* atque illustr. *Kluge*; de anthropologia forensi illustr. *Knape*; de medicinae historia cel. *Hecker*, qui simul et exercitationes disputandi et Celsi de medicina libros interpretandi moderatus est. Tandem clinicum frequentavi medicum illustr. *Neumann* et illustr. *C. W. Hufeland*, clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum illustr. *Rust* et illustr. *de Graefe*.

Ita nihil doleo, quam, quo minus beat. *Behrends* Hippocratis, medicinae, ut dicunt, parentis, aphorismos interpretantem audirem, me esse impeditum, quippe qui diem supremum nimis mature obiisset.

Studiis peractis medici inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum functus sum. Jam vero, tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

Quo facto Treviros, ad medici militaris suscipiendum munus, me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Inflammatio sthenica pleonasmus, asthenica contradictio, chronica non ens.

II.

Febris puerperalis antiphlogisticis curanda est.

III.

Arteriotomia nunquam indicata.

IV.

Theorema illud Sydenhami, febrem esse conamen naturae, mortem avertendi, omnino probandum.

V.

Therapia generalis majoris aestimanda, quam specialis.

VI.

Omnium morborum mentis turbata voluntas symptoma proprium.

VII.

Abscessus quisque magna incisione aperiendus.

VIII.

Medicinam, quam homoeopathicam vocant, victu et affectione psychica, non medicamentis curare, contendo.

IX.

Medicus per se philosophus.

X.

Illa scholae Salernitanae sententia „post coenam stabis vel passus mille meabis", in sano omnino verum.